



Bernardo Belotto, *Villa Cagnola* (Mediolani, in Pinacoteca Braidaens)

FABVLA DOCET

NARRATIONES FABVLOSAE IN LINGVA LATINA DOCENDA

SEMINARIUM
in Villa a Cagnola nuncupata habendum
in pago c.n. Gazzada Schianno
in agro Baretino

diebus 13-15 mensis Octobris, a. 2023

Conspectus locorum

CICERONE, <i>De officiis</i> III, 9, 2-3. <i>De Gyge</i>	1
CICERONE, <i>De Fin.</i> V, 18, 49. <i>De Sirenibus</i>	1
CICERONE, <i>De divinatione</i> , 1, 10. <i>De Aio Loquente (seu Locutio)</i>	2
CICERONE, <i>De officiis</i> , III, 25. <i>De Phaethonte, Hippolyto, Iphigenia</i>	3
TITO LIVIO, <i>Ab urbe condita liber I (Ia.C./I d.C.). De rege Latino</i>	3
AULO GELLO, <i>Noctes Atticae</i> , XVI, 17 (II d.C.) <i>Quae ratio uocabuli sit agri Vaticani</i>	3
APULEIO, <i>Metamorphoseon Liber VI</i> (II d.C.), XXIX-XXXII. <i>De nonnullis fabulis obiter memoratis</i>	3
IGINO, <i>Fabulae</i> (II d.C.?) XXIV. <i>IASON: PELIADES</i>	3
XLVII. <i>HIPPOLYTVS</i>	4
MAURO SERVIO ONORATO, <i>In Vergilii Bucolicon Librum</i> 8.55.1 (V ⁱⁿ . d.C.) <i>De Arione Lesbio</i>	5
MAURO SERVIO ONORATO, <i>Commentarius in Vergilii Aeneidos libros</i> In 1.116 . <i>De Iphigenia</i>	5
MACROBIO, <i>Saturnalia</i> , 1, 10, 11-17. (V ^m . d.C.) <i>De Acca Larentia</i>	6
FULGENZIO, <i>Mythologiarum Libri III</i> (V/VI d.C.), E libro III II. <i>Fabula Perdiccae</i>	6
III. <i>Fabula Acteonis</i>	7
IV. <i>Fabula Erus et Leandri</i>	7
MYTHOGRAPHI VATICANI (IX d.C. ?) <i>Fabula Iphigeniae et Orestis et Pyladis</i>	7
<i>Fabula Hippodame<s></i>	7
<i>Fabula Myrtili, Atrei et Thyestae</i>	7
<i>Fabula Phrixii et Helle<s></i>	8
<i>Historia de Pelia et Iasone</i>	8
<i>Fabula Iasonis</i>	8
<i>Fabula Orithyiae</i>	9
<i>Fabula Phinei</i>	9
<i>Historia Leandri et Herus</i>	9
<i>Fabula Cleobis et Bitonis</i>	9
<i>Historia Amulii et Numitoris</i>	9

Fabula Lynchii	10
Fabula Oenopionis	10
Fabula Orionis	10
Fabula Amaraci	10
Historia Palamedis	10
INCERTI AUCTORIS, <i>Gesta Romanorum</i> (fere a. 1300), LXXIV.	
De prospectione et providentia	10

Estratti in versi

OVIDIO

Met., I, 525-555, Apollo e Dafne	11
Met. IV, 93-146. Piramo e Tisbe	12
Met. VIII, 628-724, Filemone e Bauci	13
Met. X, 270-297, Pigmalione	15
OVIDIO, <i>Fasti</i> , II, 83-116, Arione e il delfino	16

Virgilio e Petronio: testi a confronto

VERGILIUS, <i>Ae.</i> , II, 201-227	17
PETRONIUS. <i>Sat.</i> , LXXXIX	17

Fabula docet. Racconti mitologici nella didattica del latino

Consociatio c.n. Europa Latina
De fabulis veterum textus in usum sodalium
selegit
Maurus Agosto

Cicerone, *De officiis* III, 9, 2-3

De Gyge

Hinc ille Gyges inducitur a Platone, qui, cum terra discessisset magnis quibusdam imbribus, descendit in illum hiatum aeneumque equum, ut ferunt fabulae, animaduertit, cuius in lateribus fores essent; quibus apertis corpus hominis mortui uidit magnitudine inuisitata anulumque aureum in digito; quem ut detraxit, ipse induit, tum in concilium se pastorum recepit - erat autem regius pastor -; ibi cum paleam eius anuli ad palmam conuerterat, a nullo uidebatur, ipse autem omnia uidebat; idem rursus uidebatur, cum in locum anulum inuerterat. Itaque hac opportunitate anuli usus reginae stuprum intulit eaque adiutrice regem dominum interemit, sustulit quos obstarre arbitrabatur, nec in his eum facinoribus quisquam potuit uidere; sic repente anuli beneficio rex exortus est Lydiae. Hunc igitur ipsum anulum si habeat sapiens, nihilo plus sibi licere putet peccare, quam si non haberet; honesta enim bonis uiris, non occulta quaeruntur. Atque hoc loco philosophi quidam, minime mali illi quidem, sed non satis acuti, fictam et commenticiam fabulam prolatam dicunt a Platone, quasi uero ille aut factum id esse aut fieri potuisse defendat. Haec est uis huius anuli et huius exempli: si nemo sciturus, nemo ne suspicaturus quidem sit, cum aliquid diuinarum, potentiae, dominationis, libidinis causa feceris, si id diis hominibusque futurum sit semper ignotum, sisne facturus? Negant id fieri posse. Nequaquam potest id quidem, sed quaero, quod negant posse, id si posset, quidnam facerent? Vrgent rustice sane; negant enim posse et in eo perstant, hoc uerbum quid ualeat non uident. Cum enim quaerimus, si celare possint, quid facturi sint, non quaerimus, possintne celare, sed tamquam tormenta quaedam adhibemus, ut, si responderint se impunitate proposita facturos quod expediatur, facinorosos se esse fateantur, si negent, omnia turpia per se ipsa fugienda esse concedant.

Cicerone, *De Fin.* V, 18, 49

De Sirenibus

Tantus est igitur innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur. Videmusne ut pueri ne uerberibus quidem a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? Vt pulsi recurrent? Vt aliquid scire se gaudeant? Vt id aliis narrare gestiant? Vt pompa, ludis atque eius modi spectaculis teneantur ob eamque rem uel famem et sitim perforant? Quid uero? Qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne uidemus eos nec ualetudinis nec rei familiaris habere rationem omniaque perpeti ipsa cognitione et scientia captos et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, uoluptatem? Vt mihi quidem Homerus huius modi quiddam uidisse uideatur in iis, quae de Sirenum cantibus finixerit. Neque enim uocum suauitate uidentur aut nouitate quadam et uarietate cantandi reuocare eos solitae, qui praeteruehebantur, sed quia multa se scire profitebantur, ut homines ad earum saxa discendi cupiditate adhaerescerent. Ita enim inuitant Vlixem - nam uerti, ut quaedam Homeri, sic istum ipsum locum -:

O decus Argolicum, quin puppim flectis, Vlices,
auribus ut nostros possis agnoscere cantus!

Nam nemo haec umquam est transuectus caerula cursu,
quin prius adstiterit uocum dulcedine captus,
post uariis auido satiatus pectore musis

doctior ad patrias lapsus peruenerit oras.
Nos graue certamen belli clademque tenemus,
Graecia quam Troiae diuino numine uexit,
omniaque e latis rerum uestigia terris.

Vidit Homerus probari fabulam non posse, si cantiunculis tantus irretitus uir teneretur; scientiam pollicentur, quam non erat mirum sapientiae cupidus patria esse cariorem. Atque omnia quidem scire, cuiuscumque modi sint, cupere curiosorum, duci uero maiorum rerum contemplatione ad cupiditatem scientiae summorum uirorum est putandum.

δεῦρ' ἄγ' ίών, πολύταιν' Ὀδυσεῦ, μέγα κῦδος Αχαιῶν,
νῆα κατάστησον, ἵνα νωΐτέροντον ὅπ' ἀκούσης.
οὐ γάρ πώ τις τῇδε παρήλασε νηὶ μελαίνῃ,
πρὸν γ' ἡμέων μελίγηρον ἀπὸ στομάτων ὅπ' ἀκοῦσαι,
ἀλλ' ὁ γε τερψάμενος νεῖται καὶ πλείονα εἰδώς.
ἴδμεν γάρ τοι πάνθ', ὅσ' ἐνὶ Τροίῃ εὐρείη
Ἄργειοι Τρωές τε θεῶν ιότητι μόγησαν,
ἴδμεν δ' ὕσσα γένηται ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρη.

(*Od.* XII 184-194)

Cicerone, *De divinatione*, 1, 101

De Aio Loquente (seu Locutio)

XLV Saepe etiam et in proeliis Fauni audit et in rebus turbidus ueridicae uoces ex occulto missae esse dicuntur; cuius generis duo sint ex multis exempla, sed maxima: nam non multo ante urbem captam exaudita uox est a luco Vestae, qui a Palati radice in nouam uiam deuexus est, ut muri et portae reficerentur; futurum esse, nisi prouisum esset, ut Roma caperetur. Quod neglectum tum cum caueri poterat, post acceptam illam maximam cladem epistulatum est; ara enim Aio Loquenti quam saeptam uidemus exaduersus eum locum consecrata est. Atque etiam scriptum a multis est, cum terrae motus factus esset, ut sue plena procuratio fieret, uocem ab aede Iunonis ex arce extitisse; quo circa Iunonem illam appellatam Monetam. Haec igitur et a dis significata et a nostris maioribus iudicata contemnimus? Neque solum deorum uoces Pythagorei obseruitauerunt sed etiam hominum quae uocant omina. Quae maiores nostri quia ualere censemebant idcirco omnibus rebus agendis "quod bonum, faustum, felix fortunatumque esset" praefabantur, rebusque diuinis, quae publice fierent, ut "fauerent linguis" imperabatur inque feriis imperandis ut "litibus et iurgiis se abstinerent". Itemque in lustranda colonia ab eo qui eam deduceret et cum imperator exercitum, censor populum lustraret, bonis nominibus qui hostias ducerent eligebantur. Quod idem in dilectu consuens obseruant, ut primus miles fiat bono nomine. Quae quidem a te scis et consule et imperatore summa cum religione esse seruata. Praerogatiuam etiam maiores omen iustorum comitiorum esse uoluerunt.

Cicerone, *De officiis*, III, 25.

De Phaethonte, Hippolyto, Iphigenia

Ac ne illa quidem promissa seruanda sunt, quae non sunt iis ipsis utilia, quibus illa promiseris. Sol Phaethonti filio, ut redeamus ad fabulas, facturum se esse dixit quicquid optasset. Optauit ut in currum patris tolleretur; sublatus est; atque is ante quam constituit ictu fulminis deflagravit; quanto melius fuerat in hoc promissum patris non esse seruatum! Quid? Quod Theseus exegit promissum a Neptuno? cui cum tres optiones Neptunus dedisset, optauit interitum Hippolyti filii, cum is patri suspectus esset de nouerca; quo optato impetrato Theseus in maximis fuit luctibus. Quid? Agamemnon, cum deuouisset Diana quod in suo regno pulcherrimum natum esset illo anno, immolauit Iphigeniam, qua nihil erat eo quidem anno natum pulchrius: promissum potius non faciendum quam tam taetrum facinus admittendum fuit. Ergo et promissa non facienda non numquam neque semper deposita reddenda.

Tito Livio, *Ab urbe condita* liber I (Ia.C./I d.C.)

De rege Latino

I. Iam primum omnium satis constat Troia capta in ceteros saevitum esse Trojanos, duobus, Aeneae Antenorique, et vetusti iure hospitii et quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerant, omne ius belli Achivos abstinuisse; casibus deinde variis Antenorem cum multitudine Enetum, qui seditione ex Paphlagonia pulsi et sedes et ducem rege Pylaemene ad Troiam amisso quaerebant, venisse in intimum maris Hadriatici sinum, Euganeisque qui inter mare Alpesque incolebant pulsis Enetos Trojanosque eas tenuisse terras. Et in quem primo egressi sunt locum Troia vocatur pagoque inde Troiano nomen est: gens universa Veneti appellati. Aeneam ab simili clade domo profugum sed ad maiora rerum initia ducentibus fatis, primo in Macedoniam venisse, inde in Siciliam quaerentem sedes delatum, ab Sicilia classe ad Laurentem agrum tenuisse. Troia et huic loco nomen est. Ibi egressi Troiani, ut quibus ab immenso prope errore nihil praeter arma et naves superesset, cum praedam ex agris agerent, Latinus rex Aborigenesque qui tum ea tenebant loca ad arcendam vim advenarum armati ex urbe atque agris concurrunt. Duplex inde fama est. Alii proelio victum Latinum pacem cum Aenea, deinde adfinitatem iunxisse tradunt: alii, cum instructae acies constitissent, priusquam signa canerent processisse Latinum inter primores ducemque advenarum evocasse ad conloquium; percontatum deinde qui mortales essent, unde aut quo casu profecti domo quidve quaerentes in agrum Laurentinum exissent, postquam audierit multitudinem Trojanos esse, ducem Aeneam filium Anchisae et Veneris, cremata patria domo profugos, sedem condendaeque urbi locum quaerere, et nobilitatem admiratum gentis virique et animum vel bello vel paci paratum, dextra data fidem futurae amicitiae sanxisse. Inde foedus ictum inter duces, inter exercitus salutationem factam. Aeneam apud Latinum fuisse in hospitio; ibi Latinum apud penates deos domesticum publico adiunxisse foedus filia Aeneae in matrimonium data. Ea res utique Troianis spem adfirmat tandem stabili certaque sede finiendi erroris. Oppidum condunt; Aeneas ab nomine uxoris Lavinium appellat. Brevi stirpis quoque virilis ex novo matrimonio fuit, cui Ascanium parentes dixere nomen.

II. Bello deinde Aborigenes Troianique simul petiti. Turnus rex Rutulorum, cui pacta Lavinia ante adventum Aeneae fuerat, praelatum sibi advenam aegre patiens simul Aeneae Latinoque bellum intulerat. Neutra acies laeta ex eo certamine abiit: victi Rutuli: victores Aborigenes Troianique ducem Latinum amisere.

Aulo Gellio, *Noctes Atticae*, XVI, 17 (II d.C.)

CAPITVLVM XVII

Quae ratio uocabuli sit agri Vaticani.

[1] Et agrum Vaticanum et eiusdem agri deum praesidem appellatum acceperamus a uaticiniis, quae ui atque instinctu eius dei in eo agro fieri solita essent. [2] Sed praeter hanc causam M. Varro in libris diuinuarum aliam esse tradit istius nominis rationem: 'Nam sicut Aius' inquit 'deus appellatus araque ei statuta est, quae est infima noua uia, quod eo in loco diuinitus uox edita erat, ita Vaticanus deus nominatus, penes quem essent uocis humanae initia, quoniam pueri, simul atque parti sunt, eam primam uocem edunt, quae prima in Vaticano syllabast idcircoque "uagire" dicitur exprimente uerbo sonum uocis recentis.'

Apuleio, *Metamorphoseon Liber VI* (II d.C.)

De nonnullis fabulis obiter memoratis

XXIX Sed nec inter cibos delicatos et otium profundum uitaeque totius beatitudinem deerit tibi dignitas gloriosa. Nam memoriam praesentis fortunae meae diuinaeque prouidentiae perpetua testatione signabo et depictam in tabula fugae praesentis imaginem meae domus atrio dedicabo. Visetur et in fabulis audietur doctorumque stilos rudis perpetuabitur historia "Asino uestore uirgo regia fugiens captiuitatem". Accedes

antiquis et ipse miraculis, et iam credemus exemplo tuae ueritatis et Phrixum arieti supernatasse et Arionem delphinum gubernasse et Europam tauro supercubasse. Quodsi uere Jupiter muguit in boue, potest in asino meo latere aliqui uel uultus hominis uel facies deorum." Dum haec identidem puella replicat uotisque crebros intermiscet spiratus, ad quoddam peruenimus triuim, unde me adrepto capistro dirigere dextrorsum magnopere gestiebat, quod ad parentes eius ea scilicet iretur uia. Sed ego gnarus latrones illac ad reliquas commeasse praedas renitebar firmiter atque sic in animo meo tacitus expostulabam: "Quid facis, infelix puella? Quid agis? Cur festinas ad Orcum? Quid meis pedibus facere contendis? Non enim te tantum uerum etiam me perditum ibis." Sic nos diuersa tendentes et in causa finali de proprietate soli immo uiae herciscundae contendentes rapinis suis onusti coram deprehendunt ipsi latrones et ad lunae splendorem iam inde longius cognitos risu maligno salutant.

XXX Et unus e numero sic appellat: "Quorsum istam festinanti uestigio lucubratis uiam nec noctis intempestae Manes Laruasque formidatis? An tu, probissima puella, parentes tuos interuisere properas? Sed nos et solitudini tuae praesidium praebebimus et compendiosum ad tuos iter monstrabimus." Et uerbum manu secutus prehenso loro retrorsum me circumtorquet nec baculi nodosi quod gerebat suetis ictibus temperat. Tunc ingratis ad promptum recurrens exitium reminiscor doloris ungulae et occipio nutanti capite claudicare. Sed: "Ecce," inquit ille qui me retraxerat "rursum titubas et uacillas, et putres isti tui pedes fugere possunt, ambulare nesciunt? At paulo ante pinnatam Pegasi uincebas celeritatem." Dum sic mecum fustem quatiens benignus iocatur comes, iam domus eorum extremam loricam peruereramus. Et ecce de quodam ramo procerae cupressus induta laqueum anus illa pendebat. Quam quidem detractam protinus cum suo sibi funiculo deuinctam dedere praecipitem puellaque statim distenta uinculis cenam, quam postuma diligentia praeparauerat infelix anicula, ferinis inuadunt animis.

XXXI Ac dum audita uoracitate cuncta contruncant, iam incipiunt de nostra poena suaque uindicta secum considerare. Et utpote in coetu turbulentu uariae fuere sententiae, ut primus uiuam cremari censeret puellam, secundus bestiis obici suaderet, tertius patibulo suffigi iuberet, quartus tormentis excarnificari praeciperet; certe calculo cunctorum utcumque mors ei fuerat destinata. Tunc unus, omnium sedato tumultu, placido sermone sic orsus est: "Nec sectae collegii nec mansuetudini singulorum ac ne meae quidem modestiae congruit pati uos ultra modum delictique saeuire terminum nec feras nec cruces nec ignes nec tormenta ac ne mortis quidem maturatae festinas tenebras accersere. Meis itaque consiliis auscultantes uitam puellae, sed quam meretur, largimini. Nec uos memoria deseruit utique quid iam dudum decreueritis de isto asino semper pigro quidem sed manducone summo nunc etiam mendaci fictae debilitatis et uirginalis fugae sequestro ministroque. Hunc igitur iugulare crastino placeat totisque uacuefacto praecordiis per mediam aluum nudam uirginem, quam praetulit nobis, insuere, ut sola facie praeminente ceterum corpus puellae nexu ferino coercent, tunc super aliquod saxum scruposum insiciatum et fartilem asinum exponere et solis ardantis uaporibus tradere.

XXXII Sic enim cuncta quae recte statuistis ambo sustinebunt, et mortem asinus quam pridem meruit, et illa morsus ferarum, cum uermes membra laniabunt, et ignis flagrantiam, cum sol nimiis caloribus inflamarit uterus, et patibuli cruciatum, cum canes et uultures intima protrahent uiscera. Sed et ceteras eius aerumnas et tormenta numerate: mortuae bestiae ipsa uiuens uentrem habitabit, tum faetore nimio nares aestuabit, et inediae diutinae letali fame tabescet, nec suis saltem liberis manibus mortem sibi fabricare poterit." Talibus dictis non pedibus sed totis animis latrones in eius uadunt sententiam. Quam meis tam magnis auribus accipiens quid aliud quam meum crastinum deflebam cadauer?

Igino, *Fabulae* (II d.C.?)

XXIV. IASON: PELIADES.

Iason cum Peliae patrui sui iussu tot pericula adisset, cogitare coepit quomodo eum sine suspicione interficeret. hoc Medea se facturam pollicetur. 2 itaque cum iam longe a Colchis essent, nauem iussit in

occulto collocari et ipsa ad Peliae filias pro sacerdote Diana uenit; eis pollicetur se patrem earum Pelian ex sene iuuenem facturam, idque Alcestis maior filia negauit fieri posse. 3 Medea quo facilius eam perduceret ad suam uoluntatem, caliginem eis obiecit et ex uenenis multa miracula fecit quae ueri similia esse uiderentur, arietemque uetulum in aënum coniecit, unde agnus pulcherrimus prosiluisse uisus est. 4 eodemque modo [unde] Peliades, id est Alcestis Pelopia Medusa Pisidice Hippothoe, Medeae impulsu patrem suum occisum in aëno coxerunt. cum se deceptas esse uiderent, a patria profugerunt. 5 at Iason, signo a Medea accepto, regia est potitus, Acastoque Peliae filio fratri Peliadum, quod secum Colchos ierat, regnum paternum tradidit; ipse cum Medea Corinthum profectus est.

XLVII. HIPPOLYTVS.

Phaedra Minois filia Thesei uxor Hippolytum priuignum suum adamauit; quem cum non potuisset ad suam perducere uoluntatem, tabellas scriptas ad suum uirum misit, se ab Hippolyto compressam esse, seque ipsa suspendio necauit. 2 et Theseus re audita filium suum moenibus excedere iussit et optauit a Neptuno patre filio suo exitium. itaque cum Hippolytus equis iunctis ueheretur, repente e mari taurus apparuit, cuius mugitu equi expauefacti Hippolytum distraxerunt uitaque priuarunt.

Mauro Servio Onorato, *In Vergilii Bucolicon Librum* 8.55.1 (Vⁱⁿ. d.C.)

De Arione Lesbio.

Arion, Lesbius, citharoedus optimus fuit: qui cum a Periandro, rege Corinthiorum, petisset, ut sibi liceret peragrare alias civitates, permisso eius per multa oppida collectis beneficio cantilenae opibus, Corinthum petere coepit. in cuius necem cum nautae et servuli coniurassent, Apollo eum in somnis monuit, citharoedi habitu accepto canens cithara ut vitaret insidias, auxilium ei non defuturum promittens. in quem cum coniuratorum manus involasset, petit ab eis Arion, ut sibi cithara canere liceret: quod cum ab illis permissum esset, ad eius cantilenam convenere delphines. is ubi somnio fidem factam vidi, in mare se praecipitavit, et exceptus ab uno delphine, ad Taenarum, Laconiae promuntorium, pervectus est ibique ad memoriam casuum suorum in templo Apollinis delphini signum insidentem se cum cithara posuit. exinde Corinthum petiit et universa narravit. in tempore autem hoc etiam navis, in qua navigaverat, cum insidiatoribus supervenit. Quos cum rex de Arione requisisset et illi eum mortuum mentirentur, produci Arionem iussit, <ipsos autem cruci> adfigi. sed Apollo tam delphinum quam citharam ob amorem Arionis inter sidera collocavit.}⁴³

Mauro Servio Onorato, *Commentarius in Vergilii Aeneidos libros*

In 1.116

De Iphigenia

SANGVINE PLACASTIS VENTOS ET VIRGINE CAESA CVM PRIMVM hic distinguendum est, quia et semel ad Troiam ventum est et ante quam ad eam veniretur de Iphigenia est sacrificatum. Cuius fabula talis est: cum Graeci ad Aulidem venissent, Agamemnon Diana cervam occidit ignarus. Vnde dea irata flatus ventorum removit. Quam ob rem cum nec navigare possent et pestilentiam sustinerent, consulta oracula dixerunt Agamemnonio sanguine, placandam Dianam. Ergo cum ab Vlyxe per nuptiarum simulationem, adducta Iphigenia in eo esset ut immolaretur, numinis miseratione sublata est cervaque subposita, et translata ad Tauricam regionem regi Thoanti tradita est sacerdosque facta Dictynnae Diana, cum secundum statutam consuetudinem humano sanguine numen placaret, agnovit fratrem Orestem; qui accepto oraculo carendi furoris causa cum amico Pylade, Colchos petierat. Et cum his occiso Thoante simulacrum sustulit absconditum fasce lignorum - unde et Phacelitis dicitur, non tantum a face, cum qua pingitur, propter quod et Lucifera dicitur - et Ariciam detulit. Sed cum postea Romanis sacrorum crudelitas

displiceret, quamquam servi immolarentur, ad Laconas est Diana translata, ubi sacrificii consuetudo adulescentum verberibus servatur, qui vocabantur Bomonicae, quia aris superpositi contendebant qui plura posset verbera sustinere. Orestis vero ossa Aricia Romam translata sunt et condita ante templum Saturni, quod est ante clivum Capitolinum iuxta Concordiae templum. ‘Virgine caesa’ non vere, sed ut videbatur. Et sciendum in sacris simulata pro veris accipi; unde cum de animalibus quae difficile inveniuntur est sacrificandum, de pane vel cera fiunt et pro veris accipiuntur. Hinc est etiam illud «sparserat et latices simulatos fontis Averni». Nam et in templo Isidis aqua sparsa de Nilo esse dicebatur.

Macrobio, *Saturnalia*, 1, 10, 11-17. (V^m. d.C.)

De Acca Larentia

[11] Decimo Kalendas feriae sunt Iovis quae appellantur Larentinia, de quibus —quia fabulari libet— hae fere opiniones sunt. [12] Ferunt enim regnante Anco aedituum Herculis per ferias otiantem deum tesseris provocasse, ipso utriusque manum tuente, adiecta condicione ut victus cena scortoque multaretur. [13] Victore itaque Hercule illum Accam Larentiam, nobilissimum id temporis scortum, intra aedem inclusisse cum cena eamque postero die distulisse rumorem quod post concubitum dei accepisset munus, ne commodum primae occasionis cum se domum reciperet offerenda aspernaretur. [14] Evenisse itaque ut egressa templo mox a Carutio capto eius pulchritudine compellaretur. Cuius voluntatem seuta adsumptaque nuptiis post obitum viri omnium bonorum eius facta compos, cum decederet, populum Romanum nuncupavit heredem. [15] Et ideo ab Anco in Velabro, loco celeberrimo urbis, sepulta est ac sollempne sacrificium eidem constitutum, quo dis Manibus eius per flaminem sacrificaretur, Iovique feriae consecratae, quod aestimaverunt antiqui animas a Iove dari et rursus post mortem eidem reddi. [16] Cato ait Larentiam meretricio quaestu locupletatam post excessum suum populo Romano agros Turacem, Semurium, Lintirium et Solonium reliquisse et ideo sepulcri magnificentia et annuae parentationis honore dignatam. [17] Macer Historiarum libro primo Faustuli coniugem Accam Larentiam Romuli et Remi nutricem fuisse confirmat, hanc regnante Romulo Carutio cuidam Tusco diviti denuptam auctamque hereditate viri, quam post Romulo, quem educasset, reliquit et ab eo parentalia diemque festum causa pietatis statutum.

Fulgenzio, *Mythologiarum Libri III* (V/VI d.C.) E libro III

II. Fabula Perdiccae.

Semper delicata consuetudo laborioso fert praeiudicium operi, et molliter educata, dum quod non optas euenerit, penitentiam creant; melius est enim labore partiliter securiore doceri quam ex necessitate uenientem repentaliter perterreri. Perdiccam ferunt uenatorem esse; qui quidem matris amore correptus, dum utrumque et inmodesta libido ferueret et uerecundia noui facinoris reluctaret, consumptus atque ad extremam tabem deductus esse dicitur. Primus etiam serram inuenit, sicut Virgilius ait: «Nam primum cuneis scindebant fissile lignum». Sed ut Fenestella in archaicis scribit, hic primum uenator fuit; cui cum ferinae cedis cruenta uastatio et solitudinem uagabunda errando cursilitas displiceret, plusquam etiam uidens contiroletas suos, id est Acteonem, Adonem, Hippolitum miserandae necis functos interitu, artis pristinae affectui mittens repudium agriculturam affectatus est; ob quam rem matrem quasi terram omnium genetricem amasse dicitur. Quo, labore consumptus etiam ad maciem peruenisse fertur. Et quia cunctis uenatoribus de pristinae artis opprobrio detrahebat, serram quasi maleloquium dicitur repperisse. Matrem etiam Policasten habuit quasi policarpen quod nos Latine multifructam dicimus, id est terram.

III. Fabula Acteonis.

Curiositas semper periculorum germana detimenta suis amatoribus nouit parturire quam gaudia. Acteon denique uenator Dianam lauantem uidisse dicitur; qui in ceruum conuersus a canibus suis non agnitus eorumque morsibus deuoratus est. Anaximenes qui de picturis antiquis disseruit libro secundo ait uenationem Acteонem dilexisse; qui cum ad maturam peruenisset aetatem consideratis uenationum periculis, id est quasi nudam artis suae rationem uidens timidus factus est; inde et cor cerui habens, unde et Homerus ait: οἰνοβαρὲς κυνὸς ὄμψατ' ἔχων καρδίην δ' ἐλάφοιο, id est: ebriose, oculos canis habens et cor cerui. Sed dum periculum uenandi fugiret, affectum tamen canum non dimisit, quos inaniter pascendo pene omnem substantiam perdidit; ob hanc rem a canibus suis deuoratus esse dicitur.

IV. Fabula Erus et Leandri.

Amor cum periculo sepe concordat et dum ad illud solum notat quod diligit, numquam uidet quod expedit. Eros enim Grece amor dicitur, Leandrum uero dici uoluerunt quasi lisinandron, id est solutionem uirorum; solutio enim uiri amorem parturit. Sed natat nocte, id est: in obsculo temptat pericula. Ero quoque in amoris similitudine fingitur. Lucernam fert; et quid aliud amor nisi et flammarum ferat et desideranti periculosam uiam ostendat. Cito tamen extinguitur, quia iuuensis amor non diu perdurat. Denique nudus natat illa uidelicet causa, quod suos affectatores amor et nudare nouerit et periculis sicut in mari iactare. Nam et extincta lucerna utrisque mors est procurata maritima, hoc in euidenti significans quod in utroque sexu uapore aetatis extincto libido commoritur. In mari uero mortui feruntur uelut in humorem frigidae senectutis; omne enim caloratae iuuentutis igniculum torpidae ueternositatis algescit in senio.

Mythographi Vaticani (IX d.C. ?)

Le premier mythographe du Vatican, testoe établi par Nevio Zorzetti et traduit par Jacques Berlioz, Paris 1995 (Collection des Universités de France)

Fabula Iphigeniae et Orestis et Pyladis.

[1] Graeci dum irent contra Troiam et ad insulam quae Aulide uocabatur uenissent, Agamemnon rex uolens se sagittis exercere uidit ceruam Diana, quam eius ignorans esse interfecit. [2] Ventis autem contrariis ibi diu detenti, ex oraculo Apollinis responsum est Agamemnonio sanguine uentos esse placandos. [3] Tunc Vlices — ut erat astutissimus — in patriam reuersus filiam Agamemnonis Iphigeniam simulans nuptias secum adduxit. [4] Adducta autem cum iam in eo esset ut immolaretur, Minerua miserta circumstantium oculis nubem opposuit et pro eadem ceruam, ut dicitur, apposuit. [5] Illa autem translata ad Tauricam regionem Scytharum regi Thoanti tradita est. [6] Sacerdosque facta Dictynnae Diana, dum, secundum statutam consuetudinem, umano sanguine et maxime hospitum numen placaret, agnouit fratrem Orestem, qui accepto oraculo carendi furoris causa cum amico fidissimo Pylade Colchos petierat. [7] Et cum his occiso[s] Thoante simulacrum sustulit, absconditum fasce lignorum — unde et fascellis dicitur, non tantum a face cum qua pingitur —, et Ariciam detulit.

Fabula Hippodame<s>.

[1] Hippodame filia fuit Oenomai, regis Elidis et Pisarum; hic equos habuit uelocissimos, utpote uentorum flatu creatos. [2] Qui procos filiae multos necauit, sub hac condicione prouocatos ad curule certamen, ut aut <uictus> traderet filiam, aut uictos necaret. [3] Postea, cum Pelopem amasset, Hippodamia corrupit Myrtilum, aurigam patris, primi coitus pactione. [4] Qui factis cereis axibus, cum uictore Peleope a puella promissum posceret praemium, ab eius praecipitatus est marito in mare, cui nomen imposuit; nam ab eo Myrte[t]um dicitur pelagus.

Fabula Myrtilli, Atrei et Thyestae.

[1] Mercurius, aegre ferens a Peleope Myrtilum, filium suum, in mare praecipitatum spoliatumque uitae lege, repperit uindictam, qua consolaretur orbitatem. [2] Nam Pelopis filiis, Atreo et Thyestae, tantum

discordiae iniecit, ut germanitatis iura disrumperent. [3] Cum igitur alternis uicibus regnum regerent et sciret Thyestes regnum penes eum fataliter mansurum, qui arietem aurei uelleris haberet — quem tum Atreus regnum ingressus custodiebat —, corrumpens Europam, fratris sui uxorem, eum ad se transferri posse sperabat. [4] Quod ille postquam didicit, eum cum duobus filiis suis expulit et postea simulata gratia ad eum misit eique ad se uocatos filios suos interemptos apposuit epulandos; eique post epulas filiorum capita signum conuiuii ostendit feralis. [5] In cuius rei ultiōnem cum Thyestes consulta de oraculis posceret, responsum est per eum certam uenire uindictam, qui ex ipso et filia Pelopia natus esset. [6] Vnde ille cito amplexus filiae inuadit, ex qua natus est puer, quem illa in siluas propter conscientiam incestus abiecit; hic caprae uberibus nutritus ex eadem re Aegisthus nomen accepit. [7] Atreum uero in uindictam patris, cum adoleuisset, occidit. [8] Idem et Agamemnonem, cum Clytemnestram uxorem eius adulterasset, occidit. [9] Qui postea ab Oreste, filio Agamemnonis, cum ea quam adulterauerat occisus est.

Fabula Phixi et Helle<s>.

[1] Phrixus et Helles, frater et soror, Athamantis regis et Neobolis filii fuerunt. [2] Hii insania a Libero abiecti cum in silua errarent, Neobola mater eorum dicitur uenisce et arietem uellere aureo insignitum exhibuisse, in quo praedictos filios suos iussit ascendere et in Colchos ad regem Oetam transire[t] ibique arietem immolare. [3] Vel aliter. [4] Cum Neobole, quae et Nubes, insania Liberi patris concita siluam peteret, ne larem mariti repeteret, filiis suis Phrixo et Hellae Athamas nouercam nomine Ino superduxit. [5] Quae nouercali odio pueris exitium machinans, matronas petit ut frumenta serenda corrumperent; quo facto fames innata est. [6] Cum ad Apollinem consultum ciuitas misisset, Ino eum, qui missus fuit, corrupti, ut referret oraculo dictum filios Nubis immolando; nam et ipsa dixit eos frumenta incendisse. [7] Pater, timens populi inuidiam, filios suos arbitrio nouercae commisit, sed occulte illis remedium dedit. [8] Nam Phrixum mortis suaे ignarum submisit, ut arietem aureum uellus habentem adduceret; qui Iunonis nut<u> ammonitus ut cum sorore fugeret, [et] confestim se cum ea morti subtraxit. [9] Deinde cum arieti adhaerentes mare supernatarent, Helles puella in mare cecidit et nomen ponto dedit; nam ex illa Hellespontum dicitur. [10] Phrixus, ad Colchos delatus, arietem inuolauit et uellus aureum Martis templo dedicauit, quod draco custodiebat informis. [11] Oeta rex Phrixum libens recepit filiamque uxorem dedit. [12] Et cum ex ea liberos accepisset, ueritus est Oeta ne se a regno deiceret — quod ei responsum ex <prodi>giis fuerat — aduena, Aeoli progenie<s>. [13] <Et cum> mortem caueret, Phrixum interfecit. [14] At filii eius ratem ascenderunt, ut ad auum Athalantem transirent; hos naufragos Aeson exceptit. [15] Postea Iason Colchos profectus est pro uellere aureo tollendo et draconem occidit et uellus sustulit.

Historia de Pelia et Iasone.

[1] Pelias — uel Peleus —: rex Pelopontium, cuius frater erat Iason; quiue Iason filium nomine Iasonem habuit. [2] Igitur praedictus Peleas filium fratris timuit ob uirtutem sui ac probitatem, ne se deiceret de regno, et ob hanc causam eum ad Colchos misit, [3] ut inde detulisset pellem auream, in qua Iouis in caelum ascendit; putauit enim causam ipsi esse mortis. [4] Argos autem quidam fecit nauim, a suo nomine quae dicta est Argo, a qua dicti sunt Argonautae Iason et socii eius. [5] Tiphys uero eius gubernator erat, quando nauigantes Colchos in uia peruererunt Troiam. [6] Quos Laomedon, rex Troiae, in portum ire non permisit. [7] Deinde reuersi sunt, dicentes ea quae sibi Laomedon rex Troiae fecit. [8] Qua ex causa Peleas et Hercules Troiam uenerunt; ex quibus expugnata est et Laomedon intefectus.

Fabula Iasonis.

[1] Iason cum responso Apollinis Colchos peteret ad rapiendum uellus aureum, quod Phrixus Mar[i]ti dicauerat, eo obtentu ut tauros, qui apud Colchos erant indomabiles, primum sub iuga mitteret, [2] Medea, summa ueneficarum, pulchritudinem eius mirata, egit suo ueneficio, ut tauros subiugaret et peruigilem draconem occideret. [3] Quo occiso eiusdem dentes seuit iunctis tauris Vulcani igne<m> efflantibus, unde <nati armati sunt, qui primum fecerunt impetum in Iasonem frustra, postea> mutuis <se> uulneribus conciderunt. [4] Has autem ei condiciones Aetes rex proposuerat, cui Apollo responderat tamdiu eum regnaturum, quamdiu illud uellus fuisset in templo. [5] Iason aureo uellere potitus postea Medeam uxorem habuit. [6] Sed cum induceret pellicem, nomine Glauen, filiam Creontis, Medea dedit tunicam pellici suaē

infectam uenenis et allio; quam cum indueret, coepit cremari incendio. [7] Tunc Medea animum Iasonis contra se saeuentis non sustinens alato serpente aufugit.

Fabula Orithyiae.

[1] Orithyia — Erectes, regis Atheniensium, filia et Penthesileae, uirgo pulcherrima, ab Aquilone uento adamata est et nupta ex ipso duos filios habuit, Zetum et Calain, pennatos iuuenes. [2] Qui inter Argonautas cum Iasone fuerunt et a Phineo Harpyias fugauere.

Fabula Phinei.

[1] Phineus rex fuit Arcadiae; hic suis liberis superduxit nouercam, cuius instinctu eos caecauit, ob quam rem irati dii ei oculos sustulerunt et adhibuerunt Harpyias. [2] Quae cum ei diu cibos arriperent, Iasonem, cum Argonautis propter uellus aureum Colchos petentem, suscepit hospitio, cui et ductorem dedit. [3] Hoc ergo beneficio illecti Argonautae Zetum et Calain, filios Boreae et Orithyiae, alatos iuuenes, ad pellendas Harpyias miserunt. [4] Quas cum strictis gladiis persequerentur pulsas de Arcadia, peruererunt ad insulas, quae appellabantur Plotae, et, cum ulterius uellent tendere, ab Iride moniti ut desisterent a Iouis canibus, suos conuerterunt uolatus; quorum conuersio, id est strophe, nomen insulis dedit. [5] Vt autem canes Iouis dicerentur, haec ratio <est> quia ipsae Furiae dicuntur; unde et auari finguntur Furias pati, qui abstinent partis. [6] Sane apud inferos Furiae dicuntur et canes, apud superos Dirae et aues, in medio uero Harpyiae dicuntur; unde duplex in his inuenitur effigies.

Historia Leandri et Herus.

[1] Sestios et Abidon urbes uicinae erant et interfluentis maris arto diuisae; una earum celebris extitit per Leandrum, pulcherrimum iuuenem, altera per [C]heron pulcherrimam mulierem. [2] Quibus absentibus amor imis concaluit mentibus; iuuenis autem impatiens ignis omni modo quaerebat premenda uirginis copiam, sed nullo ad Heron terra[m] aditu inuento, simul calore et audacia impulsus, se ponto tradidit sicque natando singulas noctes puellam adiit, oblato ex aduerso turris lumine puellae studio, quo nocturnum iter ad eam dirigere posset. [3] Quadam uero nocte cum acrius solito imminens uentus faculam extinguueret, errando et inscius quo cursum teneret nando interiit. [4] Cuius corpus dum postero die electum <in> litore fluctibus Hero uidisset, dolore instincta culmi[mi]ne cecidit. [5] Sic cum quo sortita fuit partem mundanae uoluptatis, cum eo et pertulit damnum mortiferae acerbitatis.

Fabula Cleobis et Bitonis.

[1] Cum mos esset Argiuam sacerdotem iunctis bubus ire ad tempa Iunonis et sollemni die boues non inuenirentur — pestilentia enim, quae per Atticam transierat, uniuersa consumpserat —, duo sacerdotis filii Cleobis et Bito matrem subeuntes iugo ad tempa duxere. [2] Tum Iuno probans eorum religionem obtulit matri ut quod uellet posceret filiis; illa pia responsione ait ut quod sciret dea utile mortalibus ipsa praestaret. [3] Altero itaque die sacerdotis iuuenes reperti sunt mortui; ex quo probatum est nihil esse morte praestantius.

Historia Amulii et Numitoris.

[1] Amulius et Numitor fratres fuerunt; Amulius fratrem imperio pepulit et filium eius necauit, filiam uero Iliam Vestae sacerdotem fecit, ut spem sobolis aufer<r>et, a qua se puniri <posse> cognouerat. [2] Hanc, ut multi dicunt, Mars compressit, unde nati sunt Remus et Romus, quos cum matre Amulius praecipitari iussit in Tiberim. [3] Tum, ut quidam dicunt, Iliam sibi Anien fecit uxorem, ut alii Amnen; pueri uero expositi ad uicinam ripam sunt. [4] Hos Faustus repperit pastor, cuius uxor erat nuper meretrix Acca Larentia, quae susceptos aluit pueros. [5] Hi postea auum suum Numitorem occiso Amulio in regno reuocarunt. [6] Quibus dum cum patre angustum Albae uideretur imperium, recesserunt et captatis a<u>guriis urbem condiderunt. [7] Sed Remus prior sex uultures uidit, Romus postea duodecim; quae res bellum creauit, in quo extinctus est Remus. [8] Et a Romi nomine Romani appellati; ut autem pro Romo Romus diceretur, blandimenti genere factum est, quod gaudet diminutione. [9] Quod a lupa dicuntur alti, fabulosum figmentum est ad celandam auctorum Romani generis turpitudinem. [10] Nec in<con>grue fictum est; nam et meretrices lupas uocamus — unde et lupanaria — et constat hoc animal esse in tutela Martis.

Fabula Lynci.

[1] Lyncus rex Scythiae fuit; qui missum a Ce~~re~~re Triptoleum ut omnibus frumenta ministrare<t>, susceptum hospitio, ut in se tanta gloria migraret, interimere cogitauit. [2] Ob quam rem irata Ceres eum conuertit lyncem, feram uarii coloris, ut ipse uariae mentis extiterat.

Fabula Oenopionis.

[1] Oenopion rex cum liberos non haberet, a Ioue, Mercurio Neptunoque — quos hospitio suscepereat — hortan[tan]tibus ut ab his aliquid postularet, petiit ut sibi concederent liberos. [2] Illi, intra corium immolati sibi bouis urina facta, praeceperunt ut obrutum terra completis matemis mensibus solueretur. [3] Quo facto inuentus est puer; cui nomen ab urina impositum est, ut Orion diceretur. [4] Qui postea uenator factus, dum uellet cum Diana concubere, ut Horatius dicit, eius sagittis occisus est, ut Lucanus, immisso scorpione periit et deorum miseratione relatus inter sidera collocatus est.

Fabula Orionis.

[1] Orion, praedictus filius Neptuni, uenator acerrimus fuit. [2] Is abiens ad Minopionem, Cretensium regem, hospitio susceptus est et temptauit filias eius uiolenter rapere. [3] At uero Minopes Libero patri, cuius filius uidebatur, immolauit; inde Liber[o] pater misit Satyros, qui Orionem ebriosum ligauerunt et uinctum Minopioni tradiderunt, ut ipse eum puniret. [4] Tunc ille oculos eius eruit. [5] Postea uero Orion didicit responso lumina se recepturum, si ad orientem uenisset. [6] At ille sonum cyclopum, fulmina fabricantium, auribus secutus, unum ex ipsis rapuit <et> eum humeris impositum rogauit ut se ad orientem dirigeret; sic perductus ad orientem lumen recepit.

Fabula Amaraci.

[1] Amaracus regius unguentarius fuit, qui casu lapsus, dum ferret unguenta, maiorem ex confusione odorem creauit; unde optima unguenta amaracina dicuntur. [2] Hic postea in herbam samsucum uersus est, quam nunc et amaracum dicunt.

Historia Palamedis.

[1] Palamedis cum delectum per Graeciam ageret, simulantem insaniam Vlixen duxit inuitum. [2] Cum enim ille iunctis dissimilis naturae animalibus salem sereret, filium ei Palamedis opposuit: quo uiso Vlices aratra suspendit et ad bellum ductus habuit iustum causam doloris. [3] Postea cum Vlices frumentatum missus ad Thraciam nihil aduexisset, a Palamede est uehementer increpatus et cum diceret adeo non esse neglegentiam suam, <ut> ne ipse quidem, si pergeret, quicquam posset aduehere, profectus Palamedis infinita frumenta deuexit. [4] Qua inuidia Vlices auctis inimic*it*iis fictam epistulam Priami nomine ad Palamedem, per [transmissum dedit captiuo] <quam agebat gratias prodigionis> et commemorabat secretum auri pondus esse, transmissum dedit captiuo et eum in itinere fecit occidi. [5] Haec inuenta more militiae regi allata[t] est et <l>e<cta> principibus conuocatis; tunc Vlices, cum se Palamedi <adesse> simularet, ait: «Si uerum esse creditis, in tentorio eius aurum quaeratur!». [6] Quo facto inuento auro, quod ipse per noctem corruptis seruis absconderat, Palamedis lapidibus interemptus est. [7] Hunc autem constat fuisse prudentem; nam et tabulam ipse inuenit ad comprimendas otiosi seditiones exercitus. [8] Secundum quosdam ipse repperit litteras, quae res forte sit dubia, tamen certum est χ ab hoc inuentum cum aspiratione.

Incerti auctoris, *Gesta Romanorum* (fere a. 1300) LXXIV.

De prospectione et providentia.

Erat quidam rex, qui filium tantum unicum habebat, quem tenerime dilexit. Rex iste unum pomum aureum fieri fecit in sumptibus magnis; pomo fabricato rex usque ad mortem infirmabatur, vocavit filium suum et ait: «Carissime, non potero de ista infirmitate evadere, sub benedictione mea post meum decessum vade per regna et castra et pomum aureum quod feci tolle tecum, et si quem magis stultum inveneris, pomum istud ex parte mea dabis.» Filius vero fideliter adimplere promisit, rex vero vertebat se ad parietem et emisit spiritum, filius vero satis honorifice eum tradidit sepulture. Post sepulturam statim pomum accepit et per diversa regna et castra ambulavit, multos stultos invenit et vidit, tamen nulli eorum pomum dedit.

Deinde perrexit ad quoddam regnum et ad civitatem principalem illius regni accessit. Per medium civitatis regem equitantem cum magno apparatu vidit, condiciones illius regni a quibusdam civibus quesivit. At illi dixerunt ei: «Consuetudo illius regni est talis, quod numquam rex inter nos regnabit nisi uno anno; finito anno in exilium ponetur, ubi mala morte finietur.» Filius regis hec audiens intra se cogitabat: «Jam inveni, quem diu quesivi.» Accessit ad regem et flexis genibus eum salutavit et ait: «Ave rex! Pater meus defunctus est et istud pomum aureum in testamentum vobis legavit.» Rex vero pomum accepit et ait ei: «Carissime, quomodo potest hoc esse? Rex numquam me vidit nec aliquid boni patri tuo feci; quare ergo tam preciosum jocale michi dedit?» Ait ille: «Domine, mi rex, pater meus non plus vobis quam alteri pomum legavit, sed sub benedictione sua michi precepit, majori stulto dare, quem potero invenire, et sine dubio circuivi multa regna et castra et non inveni tam magnum stultum et infatuatum, quam vos: ideo ex precepto patris mei vobis pomum dedi.» Ait rex: «Rogo, ut michi dicas, quare me tantum stultum reputas.» At ille: «Ecce domine, ostendam tibi clare. Est consuetudo illius regni tantum per annum regnare et in fine anni omni honore et diviciis privari et in exilium poni, ubi mala morte moritur. Amen dico vobis, quod in toto mundo non est tantus stultus, sicut vos, quod tam breve tempus regnare debet et post hoc tam miserabiliter vitam finire.» Respondit rex: «Sine dubio omnia vera sunt, que modo michi dixisti, et ideo dum adhuc fueris in mea potestate, in presenti anno bona infinita mittam ante me in exilium, ut, dum ibi venero, de bonis illis vivam, quamdiu vixero.» Et sic factum est. In fine anni regno est privatus et in exilium positus, ibi per multos annos de bonis illis vixit et vitam in pace finivit.

Moralisacio: Carissimi, rex iste est deus, qui legavit pomum aureum stultis. Per pomum rotundum intelligitur mundus iste, quem deus dat fatuis, qui magis mundum et ea, que in mundo sunt, appetunt quam deum. Rex, qui per unum annum regnavit, potest dici quilibet homo in hoc mundo existens, qui, licet centum annis vivet, est tamen quasi una hora respectu vite future, et tamen non desistit miser homo die ac nocte laborare et post mortem in exilium i. e. in infernum ponitur, si cum peccato mortali decedat, ubi mala infinita inveniet. Et pauci sunt, qui de isto exilio cogitant.

Faciamus ergo, sicut fecit ille rex; dum sumus in nostra potestate in hac vita, ante nos mittamus opera misericordie, eleemosinas largas, perpetrare oraciones et jejunia facere, ut post hanc vitam paradisum poterimus intrare et sine dubio ibi inveniemus opera nostra meritoria, que fecimus in hac vita, et sic regnabimus ibi cum gloria, ad quam deus nos perducat.

Estratti in versi

Ovidio

Met., I, 525-555

Apollo e Dafne

Plura locuturum timido Peneia cursu
fugit, cumque ipso verba imperfecta reliquit,
tum quoque visa decens; nudabant corpora venti
obviaque adversas vibrabant flamina vestes
et levis impulsos retro dabat aura capillos;

auctaque forma fuga est. Sed enim non sustinet ultra 530
perdere blanditias iuvenis deus, utque monebat
ipse amor, admisso sequitur vestigia passu.

Ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
vidit et hic praedam pedibus petit, ille salutem;

alter inhaesuro similis iam iamque tenere 535

sperat et extento stringit vestigia rostro;
alter in ambiguo est an sit comprehensus et ipsis
morsibus eripitur tangentiaque ora relinquit;

sic deus et virgo est, hic spe celer, illa timore.
 Qui tamen insequitur, pennis adiutus Amoris, 540
 ocior est requiemque negat tergoque fugacis
 imminet et crinem sparsum cervicibus afflat.
 Viribus absumptis expalluit illa citaeque
 victa labore fugae, spectans Peneidas undas:
 "Fer, pater" inquit "opem, si flumina numen habetis; 545
 qua nimium placui, mutando perde figuram."
 Vix prece finita, torpor gravis occupat artus,
 mollia cinguntur tenui praecordia libro,
 in frondem crines, in ramos bracchia crescunt;
 pes modo tam velox pigris radicibus haeret, 550
 ora cacumen habent; remanet nitor unus in illa.
 Hanc quoque Phoebus amat positaque in stipite dextra
 sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus
 complexusque suis ramos, ut membra, lacertis
 oscula dat ligno; refugit tamen oscula lignum. 555

Met. IV, 93-146

Piramo e Tisbe

Callida per tenebras, versato cardine, Thisbe
 egreditur fallitque suos adopertaque vultum
 pervenit ad tumulum dictaque sub arbore sedit; 95
 audacem faciebat amor. Venit ecce recenti
 caede leaena boum spumantis oblita rictus,
 depositura sitim vicini fontis in unda.
 Quam procul ad lunae radios Babylonia Thisbe
 vidiit et obscurum timido pede fugit in antrum; 100
 dumque fugit, tergo velamina lapsa reliquit.
 Ut lea saeva sitim multa compescuit unda,
 dum redit in silvas, inventos forte sine ipsa
 ore cruentato tenues laniavit amictus.
 Serius egressus vestigia vidit in alto 105
 pulvere certa ferae totoque expalluit ore
 Pyramus; ut vero vestem quoque sanguine tintcam
 repperit: 'Una duos' inquit 'nox perdet amantes;
 e quibus illa fuit longa dignissima vita,
 nostra nocens anima est; ego te, miseranda, peremi, 110
 in loca plena metus qui iussi nocte venires
 nec prior huc veni. Nostrum divellite corpus
 et scelerata fero consumite viscera morsu,
 o quicumque sub hac habitatis rupe, leones.
 Sed timidi est optare necem.' Velamina Thisbes 115
 tollit et ad pactae secum fert arboris umbram
 utque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti:
 'Accipe nunc' inquit 'nostri quoque sanguinis haustus.'
 Quoque erat accinctus, demisit in ilia ferrum,
 nec mora, ferventi moriens e vulnere traxit 120

et iacuit resupinus humo; crux emicat alte,
 non aliter quam cum vitiato fistula plumbo
 scinditur et tenui stridente foramine longas
 eiadatur aquas atque ictibus aera rumpit.
 Arborei fetus aspergine caedis in atram 125
 vertuntur faciem madefactaque sanguine radix
 purpureo tingit pendentia mora colore.
 Ecce metu nondum posito, ne fallat amantem,
 illa redit iuvenemque oculis animique requirit
 quantaque vitarit narrare pericula gestit; 130
 utque locum et visa cognoscit in arbore formam,
 sic facit incertam pomi color; haeret, an haec sit.
 Dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
 membra solum retroque pedem tulit oraque buxo
 pallidiora gerens, exhorruit aequoris instar, 135
 quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.
 Sed postquam remorata suos cognovit amores,
 percutit indignos claro plangore lacertos
 et laniata comas amplexaque corpus amatum
 vulnera supplevit lacrimis fletumque crux 140
 miscuit et gelidis in vultibus oscula figens:
 "Pyrame" clamavit "quis te mihi casus ademit?
 Pyrame, responde; tua te carissima Thisbe
 nominat; exaudi vultusque attolle iacentis."
 Ad nomen Thisbes oculos a morte gravatos 145
 Pyramus erexit visaque recondidit illa.

Met. VIII, 628-724

Filemone e Bauci

Mille domos adiere locum requiemque petentes,
 mille domos clausere serae. Tamen una recepit,
 parva quidem, stipulis et canna tecta palustri; 630
 sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon
 illa sunt annis iuncti iuvenalibus, illa
 conservere casa paupertatemque fatendo
 effecere levem nec iniqua mente ferendo.
 Nec refert dominos illic famulosne requiras; 635
 tota domus duo sunt, idem parentque iubentque.
 Ergo ubi caelicolae parvos tetigere penates
 summissoque humiles intrarunt vertice postes,
 membra senex posito iussit relevare sedili.
 Quo super iniecit textum rude sedula Baucis 640
 inque foco tepidum cinerem dimovit et ignes
 suscitat hesternos foliisque et cortice sicco
 nutrit et ad flamas anima producit anili
 multifidasque faces ramaliaque arida tecto

detulit et minuit parvoque admovit aëno. 645
Quodque suus coniunx riguo collegerat horto,
truncat holus foliis; furca levat illa bicorni
sordida terga suis nigro pendentia tigno
servatoque diu resecat de tergore partem
exiguam sectamque domat ferventibus undis. 650
Interea medias fallunt sermonibus horas
[sentirique moram prohibent. Erat alveus illic
fagineus curva clavo suspensus ab ansa.
Is tepidis impletur aquis artusque fovendos
accipit; in medio torus est de mollibus ulvis
impositus lecto, sponda pedibusque salignis.] 655
Concutiuntque torum de molli fluminis ulva
impositum lecto sponda pedibusque salignis;
vestibus hunc velant, quas non nisi tempore festo
sternere consuerant; sed et haec vilisque vetusque
vestis erat, lecto non indignanda saligno.
Accubuere dei. Mensam succincta tremensque 660
ponit anus; mensae sed erat pes tertius impar;
testa parem fecit; quae postquam subdita clivum
sustulit, aequatam mentae tersere virentes.
Ponitur hic bicolor sincerae baca Minervae
conditaque in liquida corna autumnalia faece 665
intibaque et radix et lactis massa coacti
ovaque non acri leviter versata favilla,
omnia fictilibus. Post haec caelatus eodem
sistitur argento crater fabricataque fago
pocula, qua cava sunt, flaventibus illita ceris. 670
Parva mora est epulasque foci misere calentes,
nec longae rursus referuntur vina senectae
dantque locum mensis paulum seducta secundis.
Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis
prunaque et in patulis redolentia mala canistris 675
et de purpureis collectae vitibus uvae.
Candidus in medio favus est; super omnia vultus
accessere boni nec iners pauperque voluntas.
Interea totiens haustum cratera repleri
sponte sua per seque vident succrescere vina; 680
attoniti novitate pavent manibusque supinis
concipiunt Baucisque preces timidusque Philemon
et veniam dapibus nullisque paratibus orant.
Unicus anser erat, minimae custodia villae,
quem dis hospitibus domini mactare parabant; 685
ille celer penna tardos aetate fatigat
eluditque diu tandemque est visus ad ipsos
confugisse deos. Superi vetuere necari;
"Di"que "sumus meritasque luet vicinia poenas
impia;" dixerunt "vobis inmunibus huius 690

esse mali dabitur; modo vestra relinquite tecta
 ac nostros comitate gradus et in ardua montis
 ite simul." Parent ambo baculisque levati
 [ite simul. Parent et dis praeeuntibus ambo
 membra levant baculis, tardique senilibus annis]
 nituntur longo vestigia ponere clivo.
 Tantum aberant summo quantum semel ire sagitta 695
 missa potest; flexere oculos et mersa palude
 cetera prospiciunt, tantum sua tecta manere;
 dumque ea mirantur, dum deflent fata suorum,
 [mersa vident quaeruntque suae pia culmina villae;
 sola loco stabant. Dum deflent fata suorum,]
 illa vetus dominis etiam casa parva duobus
 vertitur in templum; furcas subiere columnae 700
 stramina flavescent aurataque tecta videntur
 caelataeque fores adopertaque marmore tellus.
 Talia tum placido Saturnius edidit ore:
 "Dicite, iuste senex et femina coniuge iusto
 digna, quid optetis." Cum Baucide pauca locutus, 705
 iudicium superis aperit commune Philemon:
 "Esse sacerdotes delubraque vestra tueri
 poscimus et, quoniam concordes egimus annos,
 auferat hora duos eadem, ne coniugis umquam
 busta meae videam, neu sim tumulandus ab illa." 710
 Vota fides sequitur; templi tutela fuere,
 donec vita data est. Annis aevoque soluti
 ante gradus sacros cum starent forte locique
 narrarent casus, frondere Philemona Baucis,
 Baucida conspexit senior frondere Philemon. 715
 Iamque super geminos crescente cacumine vultus
 mutua, dum licuit, reddebant dicta; "vale"que,
 "o coniunx" dixere simul, simul abdita texit
 ora frutex. Ostendit adhuc Thyneius illic
 incola de gemino vicinos corpore truncos. 720
 Haec mihi non vani, neque erat cur fallere vellent,
 narravere senes. Evidem pendentia vidi
 serta super ramos ponensque recentia dixi:
 "cura deum di sint et qui coluere colantur."

Met. X, 270-297

Pigmalione

Festa dies Veneris tota celeberrima Cypro 270
 venerat et pandis inductae cornibus aurum
 conciderant ictae nivea cervice iuvencae
 turaque fumabant; cum munere functus ad aras
 constitit et timide: "Si di dare cuncta potestis,
 sit coniunx, opto" (non ausus "eburnea virgo" 275

dicere) Pygmalion "similis mea" dixit "eburnae."
Sensit, ut ipsa suis aderat Venus aurea festis,
vota quid illa velint et, amici numinis omen,
flamma ter accensa est apicemque per aëra duxit.
Ut rediit, simulacra suaे petit illa puellae 280
incumbensque toro dedit oscula; visa tepere est.
Admovet os iterum, manibus quoque pectora temptat;
temptatum mollescit ebur positoque rigore
subsedit digitis ceditque, ut Hymettia sole
cera remollescit tractataque pollice multas 285
flectitur in facies ipsoque fit utilis usu.
Dum stupet et dubie gaudet fallique veretur,
rursus amans rursusque manu sua vota retractat;
corpus erat; saliunt temptatae pollice venae.
Tum vero Paphius plenissima concipit heros 290
verba quibus Veneri grates agat; oraque tandem
ore suo non falsa premit; dataque oscula virgo
sensit et erubuit timidumque ad lumina lumen
attollens pariter cum caelo vidiit amantem.
Coniugio, quod fecit, adest dea; iamque coactis 295
cornibus in plenum noviens lunaribus orbem,
illa Paphon genuit, de qua tenet insula nomen.

Ovidio, *Fasti*, II, 83-116

Arione e il delfino

quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus?
carmine currentes ille tenebat aquas.
saepe sequens agnam lupus est a voce retentus, 85
saepe avidum fugiens restitit agna lupum;
saepe canes leporesque umbra iacuere sub una,
et stetit in saxo proxima cerva leae,
et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
sedet, et accipitri iuncta columba fuit. 90
Cynthia saepe tuis fertur, vocalis Arion,
tamquam fraternis obstipuisse modis.
nomen Arionium Siculas impleverat urbes
captaque erat lyricis Ausonis ora sonis;
inde domum repetens puppem concendit Arion, 95
atque ita quaesitas arte ferebat opes.
forsitan, infelix, ventos undasque timebas:
at tibi nave tua tutius aequor erat.
namque gubernator destricto constitit ense
ceteraque armata conscientia turba manu. 100
quid tibi cum gladio? dubiam rege, navita, puppem:
non haec sunt digitis arma tenenda tuis.
ille, metu pavidus, "mortem non deprecor" inquit,
"sed liceat sumpta pauca referre lyra."

dant veniam ridentque moram: capit ille coronam, 105
 quae possit crines, Phoebe, decere tuos;
 induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
 reddidit icta suos pollice chorda sonos,
 flebilibus numeris veluti canentia dura
 triectus penna tempora cantat olor. 110
 protinus in medias ornatus desilit undas:
 spargitur impulsa caerulea puppis aqua.
 inde (fide maius) tergo delphina recurvo
 se memorant oneri subposuisse novo.
 ille, sedens citharamque tenens, pretiumque vehendi 115
 cantat et aequoreas carmine mulcet aquas.

Virgilio e Petronio Testi a confronto

Laocoonte

Verg., Ae., II, 201-227	Petr., Sat., LXXXIX
<p>Laocoone, ductus Neptuno forte sacerdos, solemnes taurum ingentem mactabat ad aras. Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta (horresco referens) immensis orbibus angues 205 incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt: pectora quorum inter fluctus arrecta, iubaeque sanguineae exsuperant undas: pars cetera pontum pone legit, sinvatque immensa volumine terga. Fit sonitus spumante salo: iamque arva tenebant, 210 ardentesque oculos suffecti sanguine, et igni, sibila lambebant linguis vibrantibus ora. Diffugimus visu exsangues: illi agmine certo Laocoonta petunt, et primum parva duorum corpora natorum serpens amplexus uterque 215 implicat, et miseros morsu depascitur artus. Post ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem corripiunt, spirisque ligant ingentibus; et iam bis medium amplexi, bis collo squamea circum terga dati, superant capite et cervicibus altis. 220 Ille simul manibus tendit divellere nodos perfusus sanie vittas, atroque veneno: clamores simul horrendos ad sidera tollit: quales mugitus, fugit cum saucius aras</p>	<p>Quas metus abegit. Namque Neptuno sacer crinem solutus omne Laocoone replet clamore uulgas. Mox reducta cuspide uterus notauit, fata sed tardant manus, ictusque resilit et dolis addit fidem. Iterum tamen confirmat inualidam manum altaque bipenni latera pertemptat. Fremit captiuia pubes intus, et dum murmurat, roborea moles spirat alieno metu. Ibat iuuentus capta, dum Troiam capit, bellumque totum fraude ducebatur noua. Ecce alia monstra: celsa qua Tenedos mare dorso repleuit, tumida consurgunt freta undaque resultat scissa tranquillo minor, qualis silenti nocte remorum sonus longe refertur, cum premunt classes mare pulsumque marmor abiete imposita gemit. Respicimus: angues orbitus geminis ferunt ad saxa fluctus, tumida quorum pectora rates ut altae lateribus spumas agunt. Dat cauda sonitum, liberae ponto iubae consentiunt luminibus, fulmineum iubar incendit aequor sibilisque undae tremunt. Stupere mentes. Infulis stabant sacri Phrygioque cultu gemina nati pignora Lauconte. Quos repente tergoribus ligant angues corusci. Paruulas illi manus ad ora referunt, neuter auxilio sibi,</p>

taurus, et incertam excussit cervice securim.
225 At gemini lapsu delubra ad summa
dracones
effugiant, saevaeque petunt Tritonidis arcem,
sub pedibusque deae, clypeique sub orbe
teguntur.

uterque fratri; transtulit pietas uices
morsque ipsa miseros mutuo perdit metu.
Accumulat ecce liberum funus parens,
infirmus auxiliator. Inuadunt uirum
iam morte pasti membraque ad terram
trahunt.
Iacet sacerdos inter aras uictima
terramque plangit. Sic profanatis sacris
peritura Troia perdidit primum deos.

Explicitum est opellum
Europae Latinae sumptibus impressum, anno MMXXIII